

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

XVI.

Reverende & clarissime Dn. Doctor Philippe, amice vetus & colende.

A Ccepi responsum tuum ad literas meas, & quotidie expecto reditum filii tui ex Livonia, cui pecuniam a filio tibi debitam gratus persolvam. Non reddidi vero comiti ipsius Chirographum Matthæi, filii mei, sed aliud per imprudentiam in magna ipsius festinatione, quod ideo significo, ne suspiceris, aliquem dolum subelle. Miror cur tam diu Rigæ subsistat. Poruissim jam certis internunciis ad te pecuniam debitam transmittere, sed nolui a pactis & conventis recedere, & filio, si forte opus haberet, ad iter pecunia, potius quam aliis eam reddere. Si vero transit hac filius, me infalutato, nolim hoc mihi fraudi esse. Habeo paratam pecuniam, quam vel isthuc ad vos transmittam, vel qui mihi restituat filii Chyrographum alii datum & solutione cassatum, per ignorantiam autem comiti filii tui festinanti abiturum, traditum. Bene vale. Nos hic ardentem precamur pro afflictissimis in Styria & Carinthia Ecclesiis, quarum DEUS Ter Maximus sit protector & adiutor in opportunitate. Bene vale cum conjuge & liberis. Dat. Rost. die Annunciationis Mariæ, Anno 603.

T. S.

Val. Schachtius.



XVII.

Salutem per Christum plurimam.

SI valetis benè est: Valemus. Γεωμετροφιλος hic, juvenis honestus, pius & Seruditus, M. Kräutelus Treisensis, deformationem patriæ deplorans, Argentoratum ire secum constituit, ibidemque, DEO juvante, studia sua persequi. Petiit igitur à me etiam atque etiam, ut meis literis R. Tuæ Dign. Venerande & Clarissime Dn. Doctor, Domine & in Christo frater plurimum mihi honorande, & dilectissime, commendaretur. Confusus insigni Vestra humanitate & benè de piis studiosis merendi studio, locum dedi petitioni æquissimæ. Quare à R. T. Dign. diligenter peto, ut quod in aliis sæpè liberaliter præstitit, id quod grata mente agnosco & celebros, qui fuerunt à me commendati, in hoc etiam magistro ostendat humanitatis & benevolentia officium. Spero, ipsum satisfacturum nostris votis, per DEI gratiam. Audiet ex ipso Rev. T. Dignitas, si volet, statum Hassiæ nostræ, qui sanè tristis est & turbatus. Mitto alteram disputationem de Jesu Christo: quam rogo
ut R.